



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Hieronymi Savonarolæ Ord. Præd. Dialogvs De Via  
Cœlestis Patriæ**

**Savonarola, Girolamo**

**Coloniae, 1649**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55187)





Th. 3249.

J I

L.







In Donatione Wilhelm  
Freyherrn von  
zu Cleve und  
Bischoffs von  
zu Paderborn  
am 16. 5. 1654  
Johann von



R. P.

HIERONYMI

SAVONAROLÆ

ORD. PRÆD.

DIALOGVS

De


VIA COELESTIS

PATRIÆ

*Olim omnibus Christi fidelibus, nunc  
demum Sedalibus Rosario Mariani  
Specialiter in*

XENIVM

*exhibitus.*




*Colonia*

Apud Wilhelmum Friessem  
sub signo S. Michaelis Archangeli  
in platea (vulgo) Francgaf.

1649.





88  
L  
V  
S  
in  
m  
v  
S  
&  
cu  
in  
a







# DIALOGVS

De  
VIA CÆLESTIS PA-  
TRIAE  
INTERLOCVTORES

SPIRITVS & ANIMA.

**S**piritus. Repleta cibo  
potuque cœlesti, ne  
timeas huius itineris  
laborem: quia spero  
in Deo meo, quod ambulabi-  
mus in fortitudine: cibi istius  
vsque ad montem Dei Oreb, **O**  
Sponsa *a* Anima. Idem pariter,  
& ego spero, si tamen dignabi-  
tur, & mihi notam facere viam,  
in qua ambulem. **S.** Confido  
23. Reg. 19.      A 2.      in



in Domino, quod non solum  
manifestabit nobis hanc viam,  
& gressus nostros diriget in ea,  
sed etiam perficiet, consolida-  
bitque. A. Sed iam desiderium  
meum impleas S. Quod? A. Cu-  
pio hanc viam cognoscere. S.  
Quantum mihi Dominus mi-  
sericorditer concesserit, tibi li-  
benter eam aperiam. Sed scito  
quod hanc viam cognoscere, &  
per eam non ambulare, est su-  
peccata aggravare. A. Animus  
est mihi ponere in ea gressus  
meos. S. Averte igitur, quod  
nihil est, quod faciat hominem  
fortius, & velocius ambulare,  
quam amor termini, & deside-  
rium illuc perveniendi. Vnde in  
via Spirituali, charitas, quæ est  
amor Dei, qui est terminus iti-  
neris



neris nostri, omnibus præponitur virtutibus. A. Ita est; Nam omne agens agit propter finis amorem. S. Perfectio ergo vitæ spiritualis, est perfectio charitatis. A. Quænam est perfectio charitatis? S. Diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex omnibus viribus, & proximum, sicut seipsum. A. Quid est diligere perfectè Deum? S. Est diligere Deum quantum diligibilis est. A. Quantum autem diligibilis est? S. Infinite. A. Quis ergo poterit hoc observare præceptum? S. Nulla creatura potest hoc modo diligere, sed solus Deus. A. Nonne tenetur creatura rationalis perfectè diligere Deum? S. Tenetur quidem diligere



perfecte nō ex parte Dei, id est,  
tantū diligere Deum, quantum  
diligibilis est; quia hoc est im-  
possibile: sed ex parte sua, id est,  
tenetur eū diligere omni cona-  
tu. A. Quomodo? S. Ex toto cor-  
de, & tota anima, & tota mente,  
& tota fortitudine. A. Quid est  
ex toto? S. Quod conetur quan-  
tum potest se ex omni parte in  
diuinum amorem transforma-  
re. A. Quomodo? S. Vel actu  
semper, vel habitu semper, &  
sæpe actu. A. Quid est actu sem-  
per? S. quod semper actuali-  
ter feratur in Deum ex omni  
parte. A. Quid est habitu sem-  
per & aliquando actu? S. Quod  
habitualmente, homo ordinet se,  
& sua in Deum, & actualiter sæ-  
pe in



pe in Deum per affectum feratur. A. Sed quid est ex toto corde? S. Est ex tota intentione, ut scilicet, omnia ordinet rationalis creatura in Deum, tanquam in finem ultimum. A. Quid est ex tota anima? S. Est ex toto affectu; ut scilicet, afficiatur Deo: Et si alijs rebus afficitur, non nisi propter Deum afficiatur. A. Quid est ex tota mente? S. Ex toto intellectu, ut scilicet; homo subdet intellectum suum Deo, credens vera esse, quæ ipse reuelat. A. Quid est ex tota fortitudine vel ex omnibus viribus? S. Ut homo omnes exteriores, & corporales actus Deo subiiciat, ei in omnibus obediendo, ut ratio eorum sit Dei dile-



Etio. A. Quæ est ergo huius charitatis perfectio in viatore? S. Vna est sufficiens ad salutem, quod scilicet homo nihil Deo præponat. A. Quomodo? S. Quod primo quærat honorem Dei super omnia, etiam super propriam salutem, deinde propriam salutem, quæ est videre illum, & nihil etiam huic præponat. Et sufficit quod hoc habeat in habitu, licet non semper in hoc actu feratur. A. Quæ est alia perfectio huius charitatis in viatore? S. Quod homo propter Deum seipsum abneget, & se totum, & sua in Dei obsequium ordinet. Nam diuinus amor extasim facit. A. Sed qualiter hoc potest à viatore fieri? S. Potest fieri ab eo, si omnia quæ

2. Dionis. cap. 4. de diuino. hunc



hunc amorem impediunt, ex  
toto relinquat. A. Quæ sūt ista?  
S. Cupiditas temporalium re-  
rum, carnalis affectus, & pro-  
pria voluntas. Dixit enim Do-  
minus Iesus a, quod, qui vult  
perfectus esse, vendat omnia,  
quæ habet, & det pauperibus,  
& eius vestigia sequatur. Nam  
qui diuitias habet, aut cum dif-  
ficultate, aut impossibiliter e-  
uadit peccatū: eo quod difficile  
est etiam viro perfecto illis per  
affectum non coniungi. Vnde  
benedictum est. b Beatus diues,  
qui inuentus est sine macula &  
post aurum non abiit. Quis est  
hic, & laudabimuseum? Fecit  
enim mirabilia in vita sua. A.  
Sed quis potest in hac vita sine

A S

istis

a Matth. 9. b Eccles. 31.



istis viuere? S. nullas, *a* sed ha-  
 bentes victum, & vestitum, his  
 contenti sumus; Sufficit enim  
 habere necessaria. A. Sed & illi  
 oportet quærere. S. Non oportet  
 tamen in his esse sollicitum  
 quia scriptum est *b*. Non de-  
 seram, neque derelinquam. Et  
*c* Primum quærere regnum Dei  
 & iustitiam eius, & hæc omnia  
 adijcientur vobis A. Quare au-  
 tem oportet etiam affectum  
 carnalem relinquere? S. Quia  
 nihil magis impedit animam  
 contemplatione & amore diui-  
 norum, quam carnalis affectus,  
 & præsertim conjugalis, propter  
 vehementiam illius passionis  
 ignominiosæ, quæ mentem ex-  
 cecat, & indurat. Et experien-  
 tia,

11. *Timot. 6. b Heb. 13. c Luc. 11.*



ria, rerum magistra, hoc quoti-  
die manifestat, ita vt probatio-  
ne non indigeat. Viri enim San-  
cti vix possunt se temperare, &  
multi deuicti corruerunt. A  
Cur etiam oportet relinquere  
propriam voluntatem? S. Vt ho-  
mo se totum transfundat in su-  
am creatorem, & vt sequatur  
vestigia sui redemptoris: qu-  
non venit facere suam volunta-  
tem, sed Patris, ita vt obedierit  
ei vsque ad mortem Crucis.  
Cupio sequi viam istam, sed te-  
pida sum. Accende ergo cor me-  
um ad hoc studium. S. Si vis fa-  
ciliter omnia contemnere te-  
rena, cogita intra te metipsa  
medullitus rerum mundana  
volubilitatem, & vanitatem  
& quod nihil est stabile in is-



rebus. Earum item rerum in-  
sufficienciam, & imperfec-  
tionem considera, & quantam  
magnitudinem habent cum du-  
cedine modica, & quam facili-  
ter perduntur. Et praesertim do-  
bes saepe cogitare de morte, cu-  
ius nescis horam. Forte hodie  
morieris, & nescis quomodo.  
Forte enim gladio, vel alio cru-  
deli modo peribis. Nescis quoque  
locum. Forte enim in mari, vel  
in itinere. Ideo bene dixit Do-  
minus *a* Estote parati, quia nesci-  
tis qua hora filius hominis  
venturus est. *b* Facile enim con-  
temnit omnia, qui se quotidie  
cogitat esse moriturum. *A.* Placet  
hoc, sed excita me etiam ad se-  
cundum. *S.* Quae dixi etiam pro-

*a* *Matt.* 24.

derunt

*b* *Hier.* super *Ecel.* & in *Epist.* ad *Paulin.*



derunt tibi ad assequendam ca-  
stilitatem, & ad deserendum pa-  
rentes, fratres, & cognatos. Sed  
super hoc etiam cogita turpi-  
tudinem & bestialitatem actus  
carnalis, & delectationem bre-  
uem, ad excacationem mag-  
nam, & ea quæ dicta sunt supe-  
rius (de quib' author alias egit)  
de inferno ac de iudicio Dei vl-  
timo. A. Sed quia difficile est  
valde seruare castitatem, da et-  
iam mihi aliquas regulas, quas  
seruando in castitate perseue-  
rē. S. Oportet te occupari mul-  
tum in contemplationibus di-  
uinorum, & orationibus, & le-  
ctionibus Sacrarum Scriptura-  
rum, aut alijs bonis cogitationi-  
bus, vel operibus exterioribus,  
aut studijs. Item castigare cor



pustum ieiunijs, & vigilijs  
quantum valetudo permittit.  
Item fugere colloquia, confor-  
tia, & aspectus mulierum, maxi-  
mè iuencularum. Postremo  
non parum iuuabit solitarie vi-  
uere, quantum poteris. A. Cona-  
bor hoc obseruare quantum po-  
tero. Nunc autem ad tertium me  
accende. S. Ad hoc maxime ac-  
cendit amor Christi; Si enim  
eum amamus, reddimus ei vices.  
Ipse autem pro nobis propriam  
voluntatem reliquit & subditus  
fuit hominibus. Item amor cœ-  
lestis Hierusalem. Non enim  
debet alicui videri durum subij-  
ei pro tempore modico, vt po-  
stea in æternum transeat ad li-  
bertatem filiorum Dei: Tempus  
enim nostrum breue est ad mo-  
dum,



dum, & momentaneum. Reliquum est ergo, vt qui sunt serui existiment se non esse seruos, & qui sunt liberi, non esse liberos. Tanta enim est dulcedo istius seruitutis propter gratiam omnia graua dulcorantem & vbi enim est spiritus Domini ibi libertas.

Experti sciunt quod dico. Ergo experire & cognosces. A. Hoc est quod cupio. S. Humilia ergo te sub potenti manu Dei b. quia humilibus dat gratiam. A. Quomodo? S. Cognosce te ipsum, & magnitudinem Dei. Nunquam respicias bona quæ agis, imo quæ Deus per te, vel in te operari dignatur, sed semper considera fragilitatem tuam, & peccata, & infinitas negligentias, & a. 2. Corinth. 3. b. 1. Pet. 5. ingra-



ingratitude[m] erga Deum tu-  
 um *a. A.* Scio quod nihil sum ego  
 apud Deum, & quod vniuersa  
 vanitas est omnis homo viuens.  
*S.* Oporter te hoc scire non tan-  
 tum per intellectum, sed per af-  
 fectum, ita vt experientia hoc  
 recognoscas. *A.* Quomodo pos-  
 sum hanc acquirere experien-  
 tiam? *S.* Semper stando super cu-  
 stodia tui, & frequenter orando  
 non vocibus solum, sed etiam  
 medullis cordis tui. Et crede  
 mihi, quod oratio est omnium  
 bonorum possessio *b.* Nam men-  
 tem coniungit Deo, & impetrat  
 omnem charitatem, & meretur  
 omne bonum: facitque homi-  
 nem spiritu feruentem, Deo  
 cum iocunditate seruientem,  
 spe gaudentem, in tribulatione  
 patientem. *Eccl. i. b. Rom. 12.*



patientem, benignum, mansuetum, familiarem Deo, in cœlisque semper conuersantem, pauperem Spiritu, castum corde & corpore & in omnibus obediens, omniumque bonorum abundantem. A. Profecto dabo operam huic optimo studio. S. Beata eris, si hoc feceris. A Sed qualiter possum mihi acquirere hoc studium? S. Si refrenes linguam & ventrem, & fugias conuersationes hominum, & praesertim dissolutorum, & studeas semper aliquid boni facere in honorem Dei, vel proximorum salutem, & frequenter posueris genua, vel breues orationunculas ad cœlum ex corde mittendo, in breui tempore acquires, tibi tantam mentis Eleuationem, & fidu-

fidu-



fiduciam tantam apud Deum, ut  
omnia tibi postea cooperentur  
in bonum, siue bona, siue mala.  
Et perfectionem charitatis in  
breui acquires, maxime si fuerit  
oratio tua contemplationi con-  
iuncta; Sic enim Sancti suam  
perfectionem adepti sunt. A.  
Placet, quod dicis, & conabor  
pro viribus hæc omnia observa-  
re. Sed veniamus ad Charitatem  
proximi. S. Est charitas proxi-  
mi, ut diligas proximum, sicut  
te ipsum. A. Quid est hoc? S. Est  
ei velle verum bonum iuste, re-  
cte, sancte & operose. A. Quid  
est ei velle verum bonum? S. Est  
ei velle beatitudinis bonum, &  
ea ex quibus potest beatitudi-  
nem consequi: Nam qui diligit  
proximum propter suam dele-

Ratio



rationem, vel utilitatem, aut  
vult ei bonū contrarium beati-  
tudini, vel eius impeditiuum,  
non vere diligit eum quia non  
vult ei verum bonum. A. Et quid  
est iuste, & recte? S. Est eum or-  
dinate diligere, vt videlicet, ve-  
lis ei magis maius bonum : vt  
magis ei velis virtutes, quam  
sanitatem, & hanc, quam diui-  
tias. A. Quid est autem sancte? S.  
Vt ordines hanc dilectionem ad  
Deum, id est, diligas eum prop-  
ter Deum. A. Quid est vero ope-  
rose? S. Vt non diligas verbo tan-  
tum, sed operibus ei benefaci-  
endo, quomodo oportet, &  
quando oportet. A. Quomodo  
percipitur hæc charitas? S. Per-  
cipitur, si extenditur, si inten-  
ditur, si spiritualiter operatur.

A. Q uan-



A. Quantum extenditur ad perfectionem? S. Si non solum cognati affines, & amici: sed etiam inimici diligantur. A. Sed videtur esse de præcepto, & non de perfectione: quod inimicus diligatur. S. De præcepto est, quod non habeatur odio, & quod non subtrahamus ei beneficia in vindictam: Sed quod ad eum particulariter dirigamus affectum nostrum pro eo orando, & ei malefacienti nobis, benefaciendo, est de perfectione charitatis. Neque enim hæc tenemus facere alijs hominibus, nisi in necessitate. A. Quomodo intenditur charitas? S. Intenditur, si non solum exteriora bona proximis impendimus, aut labores corporales pro eis toleramus; sed etiam pro eorum salute vitam corporalem morti exponimus. A. Sed nonne ad hoc tenemur? S. Non semper. Debemus enim Deum diligere super omnia: Deinde propriam animam ac salutem, tot-



to loco animam proximi, quarto  
corpus nostrū & consequenter cor-  
pus proximi. Quādo igitur immine-  
re periculū salutis animae proximi,  
& per mortem nostram corporalem  
possemus liberare eum à tali peri-  
culo, tunc teneremur exponere vi-  
tam corporalem pro salute illius  
animae. Sed in casu, in quo quis non  
tenetur eius salutem providere, puta,  
si tempore pestis sacerdos non ha-  
bens curam animarum, exponeret  
se periculo mortis, ut consolaretur,  
& saluaret animas morientium, au-  
diendo confessiones eorum, exhor-  
tando eos, & ministrando Sacramē-  
ta, hoc pertinet ad perfectionem  
charitatis. Vel si etiam pro saluan-  
da vita alterius, exponeret se peri-  
culo mortis. Sed hoc videtur con-  
tra ordinem charitatis: Quia homo  
debet magis diligere seipsum, quam  
proximum. S. Si bene cōsideras ma-  
gis in hoc diligit se ipsum spiritua-  
liter, quia pro vita carnali saluanda  
in proximo, acquirit sibi bonum  
spiritua-



Spirituale, & vitam æternam, quod  
 est maius. Vnde vult sibi maius bo-  
 num, quam proximo. A. Sed quid est  
 illud, si spiritualiter operetur? S. Est  
 proximo spiritualia bona impende-  
 re. Nam eleemosinas ei dare aut alia  
 bona corporalia, vt infirmos viti-  
 tare, pupillos, & viduas tueri, est la-  
 borare pro eis corporaliter, quod  
 quidem bonum est. Sed verbum Dei  
 proximo ministrare, & exhortatio-  
 nibus, & orationibus, ac bonis ex-  
 emplis eum ad vitam deducere, est  
 operari spiritualiter, quod perfecti-  
 us est. Habes ergo præcepta charita-  
 tis, & ordinem eius & perfectionem  
 a: Et ex his duobus præceptis pendet  
 leges, & propheta. A. Studebo ea  
 obseruare: Sed quia hæc sunt com-  
 munita, oporteret te magis ad parti-  
 cularia descendere. S. Vere particu-  
 lares sermones in moribus magis  
 profunt; tamen quia præcepta parti-  
 cularia sunt valde multa, nimis  
 protenderetur sermo noster, si de  
 singulis quantum liber pauca dice-  
 re ten-



*de via Cœlestis Patria. 23*

tentaremus. Sufficiat itaque tibi  
hoc tantum scire, in quo, scilicet,  
consistat vita Spiritualis perfectio.  
Ad quam adipiscendum totis viri-  
bus enitere, & quidquid potest eam  
nutrire, & augmentare, illud am-  
plectere, semper rei ce quicquid ab  
ea possit auertere. A. Quomodo ergo  
particularia cognoscere poterō? S.  
Semper lege scripturas sacras &  
Sanctos Doctores, & exempla San-  
ctorum, & hæc te de particularibus  
instruent. Et similiter si leges san-  
ctos Canones: sed super omnia, vn-  
ctio te docebit de omnibus a. A.  
Quomodo habebō hanc vnctionem.  
S. Si sine intermissione oraueris b.  
Petere ergo, & dabitur tibi, quare, &  
iuuenies, pulsa, & aperietur tibi.  
A. Adiua me etiam & tu orationi-  
bus tuis: quia in itinere isto multa  
pericula video c. S. Patiens in omni-  
bus esto, & longanimis, & totaliter  
conculca voluntatem tuam, & de-  
sideria tua, ac semper delectare in

Do.

cl. Ioh. 2. b Luc. 11. c Luc. 11.



24 *Dialogus de via Cœlest. Patri*

Domino, & dabit tibi petitione  
cordis tui. A. Ambulemus ergo pa-  
riter in fide ista de Domino semper  
cogitantes his septem diebus quibus  
voluit mundus. S. Rogo Deum  
meum, vt nobis concedat talem per-  
seuerantiam, vt ad octauam. resur-  
rectionis ætatem, mereamur perue-  
nire. A Hoc faciat Deus noster per  
viscera misericordie sue, qui in-  
sitauit nos Oriens ex alto, illumi-  
nare his, qui in tenebris, & in vmbra  
mortis sedent, ad dirigendos pedes  
nostros in viam pacis. Qui viuit, &  
regnat cum Patre, & Spiritu Sancto

Deus benedictus in sæcula  
sæculorum  
S. Amen.

F I N I S.
























Th  
3244